

re possit. De Theologia Dæmonum in prima acceptione agere, infiniti res laboris esset, cum, uti veritas una est atque simplex, ita infinitiformis existat pravitas ac mendacium. At ut mendacium dignoscas, non necesse est callere antea mendacium, sed sufficit, veritatem una & fallacem mendacis animum ac hypocrisin perspectam habere. De dæmonum ergo Theologia isthoc sensu sermo nobis nunc non existit. Notitia articulorum doctrinæ Divinæ dæmones ipsos attinentium, v.g. de DEO justo iudice, de Creatione, de angelis bonis iis resistentibus, de imagine DEI amissa, de homine seducto, de ipsorummet defectione, de Christo vindice, de morte, de extremo iudicio &c. nec ipsa quidem negari poterit dæmonibus, ob rerum ipsarum naturam ac ipsam DEI iustitiam: magis tamen in nostram cadet considerationem. Maxime autem nobis de Theologia dæmonum acturis ob oculos versatur scientia articulorum Divinæ ac hominibus ad salutem ipsorum revelatæ doctrinæ. Quorum numquæ, & qualis, ac undenam accepta competat dæmonibus notitia, id ipsum est de quo deinceps sumus acturi.

a.) *Lineament. Protheor. Theol. §. 6.*

§. IV.

Existere enim dæmones sive diabolos, eosque suis etiam nos *Eam cognoscendi principia.* attingere operationibus, non est ut fusius nunc probemus, & in ipso exercitationis progressu magis id atque magis firmatur. Noticere enim Divina, credere, eloqui, mendaciisque prætexere ipsos, si argumentis irrefragabilibus probari poterit, existere eos etiam & operari unâ probabitur. Ex iisdem enim argumentis, quibus ipsa diaboli existentia nobis innotescit, etiam de illius Theologia nobis constare poterit; nimirum ex *Scripturæ revelatione, & ex varia experientia*, qua Dæmones varia forma comparentes visi & auditi, cum hominibus locuti, pacti, converlati sunt, qua per oracula se prodiderunt, qua deprehensi sunt divina imitari perpetuâ ferè κακοδηλία, qua per homines tum corporaliter tum spiritualiter obsessos, hæreticos imprimis, se manifestarunt, qua vel maxime pii homines tentatoris ignea tela, spiritualis malitiæ in cœlestibus, spiritus malignissimi potestatem satis arguentia, quotidie sentiunt. Solius tamen Scripturæ Sacræ infallibilis hic etiam est auctoritas, ejusque effatis omnis experientia est subordinanda ad eaque dijudicanda. Sicut ipsa Scriptura testis est

est